



Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark Brandenburg

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

Riedel, Adolph Friedrich

Berlin, 1859

XII. Erzbischof Friedrich von Magdeburg bekundet den Hergang, nach welchem das Dorf Mose dem Kloster Unser Lieben Frauen zu Magdeburg zu Theil geowrden und bestätigt auf Veranlassung des Markgrafen ...

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55003](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55003)

XII. Erzbischof Friedrich von Magdeburg bekundet den Hergang, nach welchem das Dorf Mose dem Kloster Unser Lieben Frauen zu Magdeburg zu Theil geworden und bestätigt auf Veranlassung des Markgrafen Albrecht des Bären von Neuem diese Schenkung, im Jahre 1144.

In nomine sancte et individue Trinitatis. Fridericus, Dei gratia sancte Magdeburgensis ecclesie Archiepiscopus; noverit universitas fidelium, quod in villa Mose dicta ecclesia Beate Marie ex antiqua traditione quinque mansos possederat, reliquam vero ejusdem ville partem Marchio Albertus ab Archiepiscopo Magdeburgensi, itemque a Marchione Comes Otto in beneficium habuerunt. Interea novis quibusdam et magnis emergentibus causis, cum Marchio Albertus, a principibus Saxonie propulsus fuisset ferme per quinquennium a patria, Comes Otto ob spem refrigerii sempiternam idem beneficium Conrado, tunc temporibus hujus Magdeburgensis ecclesie Archiepiscopo, eo tenore resignavit, ut ecclesie Beate Marie condonaret. Cujus petitioni Conradus jam dictus Archiep. elementer annuens, tum pro Dei et fratrum amore, quo eos diligebat intime, tum etiam ob dilectionem ejusdem Comitis, erat quippe ei in consanguinitatis linea proximus, eandem villam Mose beate Marie tradidit, suoque banno confirmavit. Dehinc exacto ferme quinquennio, et Conrado Arch. migrante de hoc seculo, sedataque werra, que inter Saxones et Regem Conradum erat; (ob hanc enim causam predictus Albertus Marchio, quia Regis parti contra Saxones faverat, ut dictum, est, propulsus fuit a patria,) cum ille patriam honoremque suum ad integrum possedisset, incausatus est sepe dictum Ottonem Comitem, eo quod beneficium suum sine suo assensu Archiepiscopo resignasset, illeque Beate Marie tradidisset. Hoc autem fecit, non quod moleste ferret, hoc collatum esse fratribus Deo sancteque Marie famulantibus, ipsos quippe diligebat plurimum, sed sicut sepe testabatur, ut omnis querela de hoc sopiretur heredum suorum post se futurorum. Tandem in hoc Comes et Marchio convenerunt, ut idem beneficium, villam videlicet Mose, Comes Otto Marchioni, illeque nobis resignaret, ea conditione, ut quod predecessor meus inchoaverat, ego confirmarem et stabilirem. Annuens itaque eorum petitionibus, eandem villam cum omnibus suis vrbibus, cultis et incultis, campis, pratis, viis et inviis, acquisitis et acquirendis, sive quicquid dici aliud aut nominari potest, in usum fratrum Deo et Sante Marie ferventium tradidimus, nostroque banno confirmavimus, sola excepta decima, que non sui iuris, sed Halberstadtensis erat Episcopi.

Ludewig Reliqu. Manuscript. II, 356. Buchholz Geschichte der Churm. Brand. I, 422. Leuckfeld Antiq. Praemonstr. 73. Hugo Annal. Praem. II, 112. Die Ausgabe des Jahres nach Dreihaupt Besch. des Saal-Gräbes I, 31.